



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome
Controuersiarum Omnium huius Aeui
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis
Quadripertitis digestarum**

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

XLIX. Quid, & Quotuplex est iustificatio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

non educatur è potentia materiæ, creari debet: quod solius est Dei. Aug. in Psal. 118. *Quis facit in homine iustitiam, nisi qui iustificat impium?* Homo iustus autem potest acceptam iustitiam

exercere, cum vult, cum Gratia Adiuuante; noua excitante nil opus ordinariè, nam in arduis planè opus speciali est.

III. DE IUSTIFICATIONE.

De hac quinque: 1. De Iustificationis quidditate: 2. De Iustitia Inherente. 3. De Naturalis iustitie Qualitate: 4. Operibus: 5. Et Meritis.

QVÆSTIO XLIX.

Quid & Quotuplex est Iustificatio?

IUSTIFICATIO est trāslatio hominis à statu peccati, ad statum gratiæ. Vel, Nō est sola peccatorum remissio; sed & Sanctificatio seu Renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ. & donorum. Vnde bipartita est: Remissio peccati & Infusio gratiæ: Estque duplex: Prima habitualis, ex impio faciens iustum: Secunda actualis, ex iusto iustiore. Ita S. Aug. Con. 26. in Psal. 118. De hac hinc.

II. Acceptio Iustificationis in Scriptura est quadruplex: vt significet

1. Declarare iustum: vt Prou. 7. *Qui iustificat impium, & condemnat iustum.* Hanc propriam, solam esse contendunt Luthero-caluinistæ.

2. Præcipere Lege iustitiam: Ps. 118. *Iustificationes tuas custodiam.*

3. Acquirere iustitiam: vt Rom. 3. *Iustificati gratis.*

4. Augere iustitiam. Eccl. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.*

III. Iustificationis causa est quadruplex: Finis, Efficiens, Materia, Forma.

- Causa
- Finalis, 1. *Principalis*, Deus: 2. *Minus principalis*, Gloria Christi, & hominum beatitudo.
 - Efficiens, 1. *Primaria*, Misericordia Dei: 2. *Meritoria*, ex condigno, Christi passio: 3. *Instrumentalis*, coniuncta Christi Humanitas: 4. *Separata*, est Scriptura.
 - Materialis, 1. *Subiectiua* est Anima humana: 2. *Dispositiua*, Voluntas.
 - Formalis, 1. *Intrinsicca* est habitus gratiæ: 2. *Extrinsicca*, vel, *Exemplaris*, est Christi iustitia: 3. *Formalis in actu*, sunt opera bona.

QVÆ.